

T. S. A.

EIMAPMENOΛΟ-
ΓΙΑ GENTILIS,

Dissertatione Philologico-Philosophicâ,
Consensu Incluti Ordinis Sophici

In Electorali Athenæo Lipsiensi

Publicè exposita

PRÆSIDE

M. THEOPHILOSPIZELIO,

Augustâ-Vindelico, S. S. Theol.

Stud.

Respondente

GEORGIO WEISSIO, Weissenfels. Misn.

Opt. Art. & Phil. Bacc. & Al. Elect.

Ad d. 21. Augusti

ANNO QVO

gerMania, Deo regente, Cap Vt fortIta,

Læta sIt.

Literis COLERIANIS.

oColl. diss. A
S. 22, 49


Diss. A. 222. (49)

Je
et. 22. 10.

Sächs.
Landes-
Bibl.



I.



Eteſtabiles Gentilium de Deo ejuſq;

providentia errores, à diluvio (quanquam ante illud Sapientum quoque animos hoc ſtupore, nec ipſo *Enocho* excepto, obrutos dicat *R. Maimonides*, (a) rectè à *Dionys. Voſſio* (b) refutatus,) exinde proveniſſe, credibile eſt: Quod lethifer ille *Orci Tyrannus*, nebulas animis ſub imagine veri offundens, *Principium omnis in orbe perversi*, mille modis ſe eſſe comprobaverit. Eo enim ipſo non ſolum cultus Idololatriæ ſparſit ſemina, verum honorum ſoli Deo convenientium ſibi inſignia arrogavit. Cum enim depositum illud Sacroſancti dogmatis, & à ratione probatam, ac traditione confirmatam Opinionem, de *Quodam omnis Boni Fonte*, radicitus extirpare non valuiſſet, novo ſaltem, eoq; contrario paris vel ſupparis poteſtatis ſuperaddito principio, Cœleſtis doctrinæ vividam puritatem corrumpere aggreſſus eſt, eò laborans: ut quemadmodum Numen ſuperum coleretur, quo bona conferret, ita ne inferret Mala, ipſe eorum honoraretur origo. Hoc ſc. infinitis in Genus humanum commiſſis maleficiis, mercedis quaſi & Proemii loco obtinuit. Nec difficulter, teſte etenim *Plutarcho*, (c) antiquiſſimorum inter Gentiles Legislatorum, ac Sacerdotum & ab illis in Philoſophos veteres derivata hæc fuit ſententia: *διπλὸν δὲ εἶναι ἐναντίων δὲ ἰσχυρῶν, καὶ δὲ εἶναι αἰτιπάλων δυνάμεων, τῆς μὲν ὀπί τὰ δεξιά καὶ κατὰ δεξιάν ὑψηλομένης, τῆς δ' ἐμπροσθεν αἰατρειῆς καὶ ἀνακλώσεως, ὅ, τε βίβη μικτός, ὅ, τε κόσμος, εἰ καὶ μὴ πᾶς, ἀλλ' ὅ τὰ εἰρηναῖα ἔσθ' καὶ μετὰ σελήνῳ, αἰώμαλ' καὶ ποικίλ', γέρονε, καὶ μεταβολὰς πάσας δεχόμεν'. εἰ γὰρ ἔθεν αἰαλίως πέφυκε γινέσθαι, αἰτίαν δὲ κακῆ τὰ γὰρ ὄντα οὐκ αἰτ' ὀφείλοισι, δὲ γίνεσθαι ἰδίαν καὶ δὲ χλω,*

A 2

(a) *R. Mos. Majmon. Lib. de Idololatr. Cap. I.* (b) *Dionys. Gerh. Fil. Voſſius, in Not. ad hunc locum.* (c) *Plutarchus, Libro de Iſide & Oſiride.*

χλοῦ, ὡσαύτῃ ἀγαθὸ καὶ κακὸ τὴν Φύσιν ἔχειν. h. e. A duobus prin-
 cipiis contrariis, adversisq; duabus facultatibus, quarum altera ad dex-
 tram, & rectà ducat, altera retrorsum avertatur atq; reflectat, cum
 vitam esse mixtam, tum ipsum mundum (si non universum, eum sal-
 tem qui ad terram est & Lunæ subjacet) inæqualiter ferri. Variisq;
 & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil absq; causa sit, &
 mali causam bonum non præbet: necesse est in natura, ut boni, ita et-
 iam mali ortum peculiarem, suumq; principium exstare. Additq;
 insuper eandem mentem plerisq;, è Sapientissimis esse.

II.

Primum autem errore hoc à Dæmone deceptum, Z O R O-
 A S T R U M perhibent, & Bactrianum quidem. De cujus ætate
 pariter ac nomine ambigüè differit *Antiquitas*. Epiphanius, (d)
 Sallianus, (e) Gregorius Turonensis, (f) Nemrodo οὐγγρονον fa-
 ciunt, Patriarchæ verò Abrahami cōxtaneum Suidas (g) pronun-
 ciat. Nili æqualem fuisse existimat Augustinus. Hic verò quo
 magis Hominum se subduceret arbitrio, in abstrusissimos pariter
 ac altissimos *Persidis* montes se abdedit, ibidemq; mortalium qui-
 dem, non autem immortalium seu malorum Spirituum effugit
 familiaritates. Ex contemplatione porrò corporum cœlestium, (h)
 innocenti quidem primitus, in idololatriam tandem eorum inci-
 dit devenerationem, (i) sicq; è *Monacho* Idololatra, ex hoc ma-
 gorum pessimus evasit. Præter hunc autem Astrorum cultum, de
 duobus principiis, ejusdem potentie ac dignitatis, abominandam exco-
 gitavit opinionem, (k) eã (relictis Vicennio exacto (l) montium
 claustris) universam seduxit *Persidem*, utq; disciplina fieret publica,
 que occulta ante fuerat nequitia, effecit, dicente Joh. Bisselio, (m)
 qui tertium quoq; ΜΕΣΙΤΗΝ dictum, ac Mitræ titulo cohonestat-
 um Zoroastri attribuit. Duobus hisce constitutis à se principiis,
 uno Bono, Malo altero, peculiaria indidit nomina, illudq; O R O-
 M A S D E N, hoc verò A R I M A N I U M appellavit, sicque

tan

(d) Epiphanius, sub init Panarij. (e) Sallianus, in annum mundi 1094. (f)
 Gregorius Turonens. in H stor. Franc. Lib. I. c. 1. (g) Suidas in Zoroastr. (h) Ja-
 stinus, Lib. I. H stor. (i) Conrad. Lycosth. in Bibl. Gesneri. (k) Plutarchus,
 Lib. de Iside, & Osir. (l) Teste Plinio, Nat. Hist. Lib. XI c. 42. & Joh. VVilhelm.
 Slickius Convivat. antiquit. L. 2. (m) Joh. Bisselius, soc. Jes. Illustrium Ruinans
 D. cad I. Ruinâ VI.

tanquam Deorum omnium primos, Summos, ac Maximos, superstitiosæ genti adorandos propinavit. *OROMASDEN* insuper è luce purissimâ natum, *ARIMANIUM* verò caliginè; illum bonum ac luci similem, hunc malum & obscuritatis indicem perhibuit. Illum factos à se Deos & stellas, *Ovo* (qvo juxta *Proclum*, mysticè mundus intelligitur) inclusisse, hunc verò una cum geniis malis ovum illud perforasse, sicq; bona malis, & mala bonis miscuisse, perpetuas exinde inter *Onomasden* & *Arimanium* ortas fuisse inimicitias, quæ fato, qvo ille hunc superaturus sit, abrogandæ sint. Quæ, etsi vestigia doctrinæ *Noachicæ* exprimant exigua; *Diabolicæ* tamen depravationis manifesta referunt indicia. Testanturq; Anchoram Salutis à *Noacho* posteris relictam, cum ligno (à *Zoroastris* penicillo, colore ferreo illito,) fuisse permutatam, ut cum Magnif. Dn. D. *Hülsemanno* (n) loquamur.

III.

Idem errorum venenum à *Persis* propinatum, hausisse *Egyptios*, non dubitare nos sinunt vasta Antiquorum volumina. Hisce enim omnibus (urbe *Thebaide* excepta) duo in honore rerum humanarum Principia erant, omnis Boni & Generationis unum, alterum omnis Mali & corruptionis. Bonum autem *Osiridem* appellarunt, eoq; omne in mundo ordinatum, bonum & æquabile, repræsentarunt. Malum verò *Typhonem*, cui è contrario omne inordinatum ac confusum adscriperunt. Horum autem Receptaculum dicta fuit *Isis* (seu hoc universum.) Ut prolixè differit, *Plutarchus*, (o) erudito hâc de re conscripto Libro. Etsi autem de Principiis his longè aliter *Sacerdotes Egyptios* sensisse *Vossius* (p) perhibeat, qui per *Osiridem* Solem, Lunam, & Nilum, per *Typhonem* verò Solem & Mare, per *Isidem* Lunam & Terram, intellexerint. *Plutarchi* tamen sequimur hâc in re Sententiam. Præsertim cum consentientem etiam habeamus *Diogenem Laërtium*, (q) Qui *Egyptios* cum magis duo principia bonum sc. dæmonem & malum, illum *Oromasden*, & Jovem; hunc *Arimanium* s. *Plutonium* dictum,

A 3

dictum,

(n) Dn. D. *Hülsem.* in program. Fer. I. Pentec. hoc anno affixo.

(o) *Plutarchus.* toto Libro de *Iside & Osiride.* (p) G. J. *Vossius,* *Idolot. Lib. I. c. V. p. m. 35.* (q) *Diog. Laërtius,* *Præfat. oper. de Vit. Phil.*

dictum, coluisse scribit, adducta authoritate *Aristotelis*, (r) *Hermippi*. (s) *Eudoxi*, (t) & *Theopompi* (u). *Jamblichus* (x) insuper ipse, non tantum idem perhibet verum ex mente *Mercurij Trismegisti*, in quolibet etiam *Homine* diversa hæc principia ponit, exindeq; illi vel bona vel mala accidere pronunciat. Idem autem asseruisse *PYTHAGORAM*, pro certo habemus, hic enim (juxta laudatum *Plutarchum*) duo videm principia, *Bonum* & *Malum* agnovit, illiq; Unitatem, finitum, quiescens &c. huic verò, inæquale, sinisterum, & tenebriosum attribuit. Addimus *Eusebii* (y) verba à *Lipσιο* (z) hæc in rem allegata, quibus evincit illum statuisse τῶν δεξῶν πλεὺ μὲν μονάδα θεῶν, καὶ τὸ ἀγαθόν, πλεὺ δὲ ἀορίστον δυνάδα, καὶ δαίμονα, καὶ τὸ κακόν, πρὸς δὲ αὐτῷ ἔστι τὸ ὑλικόν πᾶσι. Principiorum alterum esse Unionem i.e. Deum & bonum; alterum infinitum Binionem, i.e. Demonem & Malum, circa quem Materialis multitudo est. *Plato* (α) licet sententiam hæc de re valdè occultet, omniumq; principia loco quodam Idem & Diversum cōstituat, prodidit tamē eandem vel maximè, in suis de *Legibus Libris*, in quibus universum hoc, non ab una regi anima, sed pluribq; iisdemq; ad minimum duabus, & contrariis, una boni altera mali omnibus effectricibus contendit. *Platonis* autem hanc opinionem, simul enarrat & refutat *Proclus* (β) alias per omnia *Platonicus*, hunc in modum: Non ergò secundum *Platonem* existimabimus, Deorum alios *beneficos*, alios *maleficos* esse, sed omnes bonorum omniumq; quæ capere homines possunt, largitores.

IV.

Eodem in luto *Patriam* nostram olim hæsisse, certiore haud testem *Tacito* (γ) proferre possumus, qui de *Germanorum moribus* differens, inquit: *Pars Svevorum* & *Isidi* sacrificat. Quæ absq; dubio cum *Aegyptia* illa eadem fuit. Confirmant hæc, quæ de *Slavis*, non exigua tunc *Germanorum* portione, refert *Helmoldus*,

(r) *Arist.* Lib. I. de *Philos.* (s) *Hermipp.* l. de *Magis.* (t) *Eudoxus*, in *periodo.* (u) *Theopompus*, Lib. VIII. *Philippicorum.* (x) *Jamblichus*, de *Mysteriis Aegypt.* *dogm.* VIII. c. 6. (y) *Euseb.* de *Preparat. Evang.* Lib. XIV. (z) *Lipsius*, *Physiol. Stoicæ*, Lib. I. c. 14. (α) *Plato*, de *Republ.* (β) *Procl.* L. V. in *Tim.* (γ) *Tac.* de *Mor. Germ.*

dius, (♁) hisce verbis: Sub nomine Deorum, *Boni* sc. atq; *mali*, omnem prosperam fortunam à *bono Deo*, adversam autem *Malo* dirigi profitentur. Ideò etiam *Malum Deum* suâ lingvâ *Diabol*, sive *Zeerneboch*, i. e. *nigrum Deum* appellant. Fidem autem *Tacito* conciliant non contemnenda, superstitionis hujus adorationis vestigia, quæ partim in *Bavaria*, partim verò *Batavia* lapidibus inscripta cernuntur. Quorum unum apud *Isaram* fluvium, dicta in *Bojaria* extat tale:

ISIDI.
MYRIONUMÆ.
SACRUM.

Inscriptio verò in agro *Vorburgensi Hollandiæ*, eruta à *Th. Segetho*, habet hæc:

J. O. M. SARAPI
ISIDI FRUGIFERO
COELESTI FORTUNÆ.

Nec reticendum est, *Augustæ* quoq; *Vindelicorum* in patria mea, superstitionem hanc invaluisse. In loco enim quodam editiore, vulgò *der Isenberg dicto*, *Isidi* Sacra fuisse facta, vetus & vera comprobatur traditio. Et hodiernum qq. ibidem in prætorio tale monumentum conspicitur:

QVEM. MALE. POLLUERAT. CULTURA NEPHARIA. DUDÛ.
GALLUS. MONTICULUM. HUNC. TIBI CISA. TULIT.

Ubi nævo insigni commisso per *CISAM*, judicante *CL. Schedio* * *Isis* intelligenda est, collis enim (de quo paulò ante) non à *Cisâ*, verum *Iside* appellationem illam accepit, quod autem juxta eundem insigne Patriæ *Augustæ* spica primum fuerit (*Isidi* Deæ frugum sacra,) inde in nucem pineam, fragum vel morum in curia pictorum translatum, vix concedimus, licet ipse *Münsterus* quoq; ** *Augustâ* urbem loco insigniorum primò nucem pineam habuisse asserat. Nec *Saxones* antiqui excipiendi sunt, qui testante *Fabricio*, (ε) præter Deum, alterum quoq; illud principium coluerunt, subq; nomine *Tybileni* adorarunt. Etsi non ignorem quæ in contrarium afferantur

tur

(♁) *Helmoldus*, Lib. I. *Chron. Slavor.* cap. 53. * *Schedius de DIS Germ.* Cap. VI. p. 155. ** *Münster. Cosmogr.* Lib. III. (ε) *Fabricius*, Lib. I. *Origin. Saxon.*

tur à G. J. Vosſio, (ζ) qui difficulter ſibi perſvadere poteſt, Germanos, *Iſidis Numen*, cujus adeò ſera notitia ad Græcos & Romanos pervenerit, ab *Aegyptiis* accepſſe, ut enim jam non dicam unum, idemq; idolum & inveniri & coli à diverſis gentibus potuiſſe; Quid quæſo prohibet, quo minus *Commercium Germanorum cum Orientalibus* (ad quod ſtabiliendum non parum *Chaldaica paraphraſis* ad C. XXVII. Ezechielis (η) confert, quæ eqvos תוגרמא *Thogarma*, reddidit גרמניא *Germania*,) novos, novis cum mercibus *Deos* reddiderit ipsis familiares. A Græcis verò (ob contemptū aliorum, & connatam ſuperbiam) neglectum cum eſſet peregrinandi ſtudium, Romaniq; ſerius extitiffent, facile & hos & illos *Iſidis* notitiâ pariter ac cultu, anticipare potuerunt ſuperiores noſtri. *Philippum Cluverium* autem, *** nobis hac in parte contradicentem, cum de ſolo nomine *Iſidis* controverſiam moveat, facile tolerare poſſumus.

V.

Eandem hodienu ſententiam fovere *Calecutenſes*, neſinem ferme latet. Hi eſſi *Deum* Summum Mundi Conditoſem agnoſcant, ac *Temerari* appellent, eum tamen quo curæ expers mundanæ cōſuavius vitam tranſigat, Orbi regundo *Demonem* præfeciffſe vicarium, cujus ſimulachro ſpecie quam horribili expreſſo, ſacra faciunt, Teſte *Ludov. Vartomanno*, (θ) & *G. J. Vosſio*. (ι) Et non ſine admiratione addo quod *Iſaacus Pontanus*, (κ) de *Chinenſibus*, populis ex ſua ſententia oculatiſſimis, refert. Eos ſc. præter *Deum Mundi conditoſem* Idolum ſpecie Diabolicâ expreſſum venerari, ac genubus flexis, oblatis frugibus ſacra facere, hoc ſolum ſine: *NE NOCEAT*.

VI.

Parum autem fuit *Diabolo*, Errorum ac *Malorum* omnium principio, hoc, de duobus principiis, ejuſdem poteſtatis, figmento, *Gentilium* tantum oculos obſcinnare, niſi irruptione ultra *Ecclēſia*

(ζ) Vosſius, *Lib. I. Theol. Gent. C. XXXVIII. p. m. 278.* (η) Ezech. XXVII, 14. *** *Phil. Cluv. Germ. Antiq. Lib. I. c. 27.* (θ) *Lud. Vartomannus, Lib. V. navig. c. 2.* (ι) Vosſius, *l. d. C. VIII. p. 57.* (κ) *Joh. Iſaacus Pontanus, in Hiſt. Amſtelod.*

sic sepe facta, nonnullos seduceret Christianos. Manetem indigito ejusq; asseclas. Ille enim dicente Augustino (λ), duo principia inter se diversa atq; adversa, eademq; eterna & coeterna composuit: duasq; naturas, atq; substantias, boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hereticos, opinatus est: quarum inter se pugnam & commixtionem fabulatur. De quo plura vid. etiam apud Epiph. (μ) Augustinum (ν), Danaum (ξ), & Hottingerum (\omicron), qui ultimus inter Arabes Librum Muhammedis ben Isaac, de secta Manicheorum, eorumq; erroribus se reperiisse narrat. Non contemnendum autem de Manete illa Vosij (π) est Judicium: Illum sc. tanquam Persam, Persicis disciplinis sumptibus cujusdam viduae imbutum, patriam in eo secutum fuisse religionem, à ZOROASTRE (ut ante dictum) excogitatam.

VII.

Ahominanda autem hæc de duobus diversis principiis doctrina, infinitos successu temporis prodaxit errores, partusq; monstruosissimi, è tam monstruosa Genitrice orbem universum penitus à vera Numinis notitia quàm remotissimè abduxerunt. Præter cultum insuper Idololatrico-Diabolicum, Ipsa certè exinde Gentilium profecta est ΕΙΜΑΡΜΕΝΟΛΟΓΙΑ. Principiis enim illis admissis, omnium quoq; bonorum, homines beantium, & majorum eisdem perdentium fatalis & inevitabilis admittenda fuit Necesitas. Vires enim ad resistendum Diis hisce & avertenda mala, quilibet sibi deesse sentiebat. Et Saniores Gentiles FATI causas investigantes, dicente Lipsio (ρ), falsi sunt: In Principiis Fati aliquid esse, seu in natura ipsa singulorum, quod huc aut illuc ducat. Nec minus Jamblichus, (σ) ex mente Mercurij & Aegyptiorum, (τ) duas diversas in homine Animas causas fatalium eventuum statuit.

B

VIII. In-

(λ) August. Lib. de heres. (μ) Epiphanius, Heresi LXVI. (ν) August. d. l. & Tr. Ad quod vult Deum. c. 46. (ξ) Danaus, Comment. super August. (\omicron) Hottingerus, Histor. Ecc. part. i. Cap. III. sect. V. p. m. 149. & 150. (π) Vosius, d. l. C. V. p. 37. (ρ) Lipsius, Lib. I. Physiol. Stoicæ, Diss. 14. (σ) Jamblichus, l. a. (τ) vid. etiam Pier. l. a. passim.

VIII.

Inventis igitur atq; determinatis *Ειμαρμενολογίας* principiis, quid de *Fato* ipso statuerint, deinceps ex illorum monumentis eruemus. Cujus rei difficultas vel ex eo patet, quod dicente *Alexandro Aphrodisiensi* (v) *ipsis gentilibus nondum sit expeditum quid factum, aut quibus in rebus situm sit.* Vel ut idem paulò ante judicat: *Veritas in his inventu tam difficilis videatur, ut semper quid vel huius vel illi sententiæ opponi possit, in promptu habeat.* Non enim *Ciceronianis declamationibus, sed certis demonstrationum principis de Fato in prima Philosophia disputatum est, graviter dicente Scaligero.* (ϕ) Ut exinde jure illud *Platonis*, faciamus nostrum: *ὅτοι γε οἱ λόγοι χαλεπὸι* præprimis ob infinita hac de re inter ipsos *Gentiles Sententiarum divortia, quæ pro eujusvis aut ingenio, aut contradicendi, vel famæ adipiscendæ studio, augmentum acceperunt.*

IX.

Nihil autem nobis jam negotii cum *Atheis* est, qui eò quod *Dei* sustulerunt *Essentiam*, neq; *Fatum*, neq; ullam ejus *Providentiam* admittere potuerunt. Effatum igitur *Protagoræ*, quo se nihil de *Diis* scire affirmavit, non secus ac *Athenienses Protagoram* (χ) ipsum proscribimus. Comites quoque addimus, *Diagoræ Meli*, & *Theod. Cyrenæici* (ψ) (qui nullos omninò *Deos* statuerunt) sententias, non minus à *Gentilibus* quam *Christianis* jam olim damnatas. Videantur *Diodorus Siculus* (ω), *Valerius Max.* (aa) *Ælianus* (bb), *Plutarchus* (cc), & *Polyd. Vergil.* (dd) Nec audiendus est h. l. *Anaxagoras*, nullamq; juxta *Alex. Aphrod.* (ee) fidem meretur, qui consentienti hominum de *Fato* persuasioni se opponens, nihil *fato* eorum fieri, quæ fiunt, sed inane hoc esse nomen contendit. Ad illos potius accedimus, qui sive animo, sive voce tantùm *Dei* agnoverunt *Existentiam* pariter ac *providentiam*. Inter quos

(v) *Alexander Aphrodisiensis Lib. de Fato.* (ϕ) *Scaliger, Exerc. VII. contra Card. p. m. 43.* (χ) *De quo vid. Agell. Lib. V. c. 3.* (ψ) *Diog. Laertium de Vit. Phil.* (ω) *Diodorus Siculus, L. 13.* (aa) *Val. Max. Lib. I. cap. 1.* (bb) *Ælianus, Lib. II. Var. Hist. c. 31. & cap. 33.* (cc) *Plutarch. de plac. Phil.* (dd) *Polyd. Vergil. Lib. I. de Inv. Rer. cap. 1.* (ee) *Alex. Aphrod. Lib. de Fato.*

quos infinita Sententiarum deprehenduntur divortia. *Etymologiam* quidem *Fati* à *Fando* omnes agnovère. Quid aliud est *Fatum*, [quærit *Minutius Felix* (ff)] quàm quod de uno quoque nostrum *Deus fatus est*? & *Servius* *Fata* appellat quæ *Dii* fantur. (gg). Quam diversimodè autem à variis vox hæc fuerit usurpata, quamque mirandum inter *Philosophos* *Fati* extiterit *Fatum*, subsequens tractatio pluribus ostendet. Hujus autem *Loci* planè non est illa acceptio, quæ à *H. Grotio* (hh), *Jctis* tribuitur, quibus fato fieri nihil aliud sit, quam accidere absq; merito. Quæ ilud *Nevij*: *Fato Metelli Romæ fiunt consules*, i. e. ut idem explicat sine merito.

X.

Quemadmodum autem *Gentilibus* nihil frequentius *πολυωνυμία* *Deorum* fuit, & neutiq;quam insolens, *Divorum* uni diversa & nomina & officia attribuere; (sicuti *Isis* nominibus aliis *Luna*, *Lucina*, *Diana*, *Trivia* & *Hecate*; imò ut *Inscriptio* ante alleg. apud *Isaram* fluvium in *Bavaria* testatur *μυριώνυμο* seu decies mille nominis dicebatur, plura vid. apud *Pierium* (ii) in *Hieroglyph.* & *Hornium* (kk),] Ita *Summa* juxta illos *Rerum humanarum moderatrix*, *FATUM* sc. varias accepit pro cujusvis ingenio appellationes, mox enim *Parca*, *Necessitas*, mox *Nemesis*, item *Adrastea* salutatur. Multum rei huic *Lucis* afferre videtur locus *Philosophi* (ll), vel cujusvis potius authoris libelli de *Mundo*, qui talis: οἶμαι δὲ καὶ τὰ ἀναγκῆν ὅσα οὐδέ τι λέγεσθαι. πάλιν ἔτι, οἷον ἀκίνητον ὄντων ὄντα. Ἐμαρμένω δὲ, διὰ τὸ εἶρεσθαι τε καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως. Πεπεωμένω δὲ, διὰ τὸ πεπερατώσθαι πάντα, καὶ μηδὲν ἐν τῆς ἔσιν ἀπειρὸν εἶναι. καὶ μοῖραν μὲν ὑπὸ ἔμευροσθαι. Νέμεσιν δὲ ὑπὸ τῆς ἐκάστω διανεμήσεως. Ἀδράστειαν δὲ ἀναπίδραστον αἰτίαν ἔσσαν κατὰ φύσιν. Αἴσαν δὲ αἰεὶ ὄσσαι; *Existimo autem Necessitatem non aliud dici, quàm hoc ipsum: puta immobilem naturam: Fatum autem à connectendo & procedendo sine impedimento: Pepromencn, eo quod omnia circumscribat, ac terminet*

B 2

minet

(ff) *Minutius*, in *Octavio*. (gg) *Servius*, ad *II. Aeneid.* (hh) *H. Grotius* *Lib. III. de J. B. ac Pac. cap. 6. p. m. 440.* (ii) *Pierius* in *Hieroglyphicis*. (kk) *G. Hornius*, *Hist. Philos. Lib. I. c. 5. p. m. 31.* (ll) *Aristoteles*, *Lib. de Mundo*.

minet cuncta, nec aliquid in rerum natura termino careat: Et Mæram sive Parcā, quod partita sit: & Nemēsin, à facta unicuiq; distributione: Adrasteam quia causa sit immutabilis, secundum naturam: Aesā deniq; quia sit semper. Ex quo loco patescit, ΕΙΜΑΡΜΕΝΗΝ idem ac ΠΕΠΡΩΜΕΝΗΝ & ΜΟΪΡΑΝ seu P A R C A M fuisse, cui Sententiæ pollicem premit Agellius (mm), & integro seculo recentior Censorinus, de die Natali, cap. 8. Parmenidem quoque ac Democritum F A T U M & necessitatem Synonyma dixisse, Plutarchus (nn) author est, de plac. Philosophorum l. I. c. 23. his verbis: Parmenides & Democritus, omnia ex necessitate fieri, eandemq; Fatum esse putarunt. Alias appellationes qui desiderat, accedat Martinium (oo), qui ΜΩΡΑΝ Gentilibus portionem, quæ unicuiq; post accuratam divisionem tribuitur; Pepromenen vero finem & exitum destinatum significasse iudicat.

XI.

NON autem de fictis jam *Parcarum* personis disputabimus, nec quibus rationibus Gentiles inducti, numerum & potestatem hanc illis concesserint, Abunde hæc profecutus est G. J. Vossius (pp), Pierius (qq), aliiq; plurimi. Qui communiter concedunt, *Parcarum* picturam, quæ una colum sustineat, altera neat, tertia adactis in fila forcibus modo hæc modo illa occet, nihil aliud, quam rerum quotquot in mundo sunt, ortum, augmentum, & interitum iis fatalem & proprium significare. Non prætereundus vero hic locus *Demsteri* est (rr), ad *Joh. Rosin. Antiquit. Rom.* notatus, quo Romanis *Fata pro Fortuna* bella administrandi usurpata fuisse è *Claudiano* (ss), evincere conatur:

pugnastis uterq;
Tu fatis, genitorq; manu.

Item ex illo *Sidonij* (tt):

Certa-

(mm) Agellius, Lib. III. Noct. Attic. c. 16. (nn) Plutarchus de plac. Philosophorum, Lib. I. c. 23, (oo) Matth. Martinus, in Lexico Philologico passim. (pp) G. J. Vossius, Lib. II. Idol. Cap. XLIV. p. m. 549. (qq) Pierius, l. d. Lib. XLVIII. p. m. 607. (rr) Demsterius ad J. Rosin. Antiq. Lib. II. c. 16. p. m. 358. (ss) Claudianus, de 3. Honor. Consul. (tt) Sidonius Apollinar. carm. 5.

XII.

QVanti autem fecerint *Ethnici FATI* Numen, non ex so-
lūm patescit, quod [dicente *Alexandro Aphrodisiensi (uu)*] id
ipsam naturam, & rationem, per quam cuncta regantur, imò
Deum, qui in omnibus sit quæ fiunt, constituerint; (è quorum nu-
mero *Chrysippum* fuisse *Polydorus Vergilius (xx)*, existimat, qui nar-
rante *Pierio (yy)*, fatum per potentiam spirituales certam qua-
dam ratione universi constitutricem, item per mundi rationem
& Legem, juxta quam omnia quæ fuere, facta sint, definivit.) Ve-
rum quod & *Jovem ipsum FATIS* subjecerint non Poetæ so-
lūm, sed ipsi quoque Philosophi. *Æschili* Verba *Jovem* Fatis sub-
jicientia habet *Pierius (zz)* l. d. *ὄντιν ἀνέξέφουτε τὴν πεπεωμένω.*
Quibus accedunt illa Poetæ apud *Ciceronem*: *Quod fore paratum*
est, id summum exsuperat JOVEM. Ipse *Jupiter* apud *Home-*
*rum **, etiam cum maximè vellet *Sarpedonem* suum morti eripe-
re non potuit. Et hæc ratio esse potest, cur in simulachro *Mega-*
rensi *Parce* seu *Fatum Capiti Jovis* superpositæ fuerint. Etiam si
vero idem cum Deo Gentiles *Fatum* esse statuerint, maximoperè
tamen prohibuerunt, ne cujusvis *mali* author *Deus* declararetur.
Desipere homines *Jupiter* [apud *Homerum (aaa)*] dicit, cum Ma-
lorum causas in *Deos* referunt, in quæ ipsi se stultitiâ sua conjece-
runt. Multum ad rectum *Deorum usum* conducere *Hierocles (bbb)*
existimat, si quis nullius *mali causam Deum* esse intelligat. Omni-
modo pugnandum esse *Plato II. de Republ. (ccc)* jubet, ne *Deus* qui
bonus est, causa mali dicatur: nec quenquam id defendentem
in Civitate sinendum, nec audiendum esse, sive senex sit, sive
Juvenis, sive in carmine, sive extra carmen, quippe quæ si dicantur,
nec pia sint, neq; sibi met ipsis consentanea. *Idem (ddd)* sub

B 3

per-

(uu) *Alex. Aphrod. Tr. de Fato.* (xx) *Polyd. Vergilius, de Re-
rum Invent. Lib. I. c. 1.* (yy) *Pierius, l. d. Lib. XLIV. cap. 31. p. 564.*
(zz) *Idem, Lib. XXXII. c. 30. p. 385.* * *Homerus Iliad. π. (aaa) Ho-
mer. Lib. I. Odyss. 4.* (bbb) *Hierocles, de Usu Deorum, citante Gno-
tio de Fato.* (ccc) *Plato, II. de Rep.* (ddd) *Idem, X. de Rep.*

personam puellæ *Lacheseus seu Necessitatis filie*, αἰτίαν ἐλομένην culpam Eligenti adscribit, ΘΕΟΝ verò ΑΝΑΙΤΙΟΝ, Deum extra culpam ponit. Ex cuius dogmate hausit, quæ de Platonis dogmate profert *Apulejus* (eee), hisce quidem verbis: *Omnia quæ naturaliter, & propterea rectè feruntur, providentiæ gubernantur custodia, nec Ullius mali causa DEO poterit ascribi.* Mentem quoque Præceptoris ex asse secutus *Maximus Tyrcius*, Platoniorum assecla, non solum nullum opus Dei malum esse, verum neq; ex fato humanas calamitates oriri concessit. Nec *Chrysippus* ipse, (fff), etsi idem cum Deo fatum esse contenderit, reliquorum castra hæc in parte deseruit. Sic enim citante *Plutarcho* Ido de Diis ait: Deum causam rerum turpium dicere rationi adversatur. Nam sicut Lex non est causa Legem transgrediendi, nec Dii impietatis, ita nec ullius rei inhonestæ Deos causas esse credibile est.

XIII.

Eorum autem qui Deos FATORUM exemerunt crudelitati, inq; naturalia tantum iisdem attribuerunt Imperium, primo loco *Hermetem Trismegistum* (ggg) produceremus, nisi suppositium potius quam genuinum, semiplatonicum pariter ac semichristianum, *Pæmandri* scriptorem pronunciasset *Vossius* (hhh), Addamus nihilominus ejus verba, à *J. Lipsio* (iii) quoque quæ allegarentur digna judicata: πάντες ἄνθρωποι ἐμαρμένη ὑποκείνται καὶ ἄρσεις, & μεταβολῇ. *Omnes mortales fato subjiciuntur, & initio, & mutationi.* Quæ si *Trismegisti* fuit sententia, merito pro ipsius *Zoroastris* quoque esset habenda. Certiores de *Pythagore* opinione nos reddidit *Stobæus* (kkk), qui de illo hunc in modum: ΠΥΘΑΓΟΡΑΕ ἀνάγκη ἔφη περιεῖδαι τῷ κοσμῷ, *Pythagoras* statuit necessitatem mundo esse circumdatam. Integram autem Definitionem *Pythagoricam* profert *Diog. Laertius* (lll) Juxta illum sc. ἐμαρμένω τε τῶν ὄλων εἶναι καὶ κατὰ μέρος αἰτίαν, τῆς διοικήσεως, *Fatum quoque omnium & eorum quæ sunt per partes administrandorum*
causam

(eee) *Apulejus*, de dogmate Platonis. (fff) *Chrysippus*, II. de Diis, citante *Plutarcho*. (ggg) *Hermes Trismeg.* *Pæmandr.* Cap. XII. (hhh) *Voss.* l. d. Lib. I. c. X. (iii) *Lipsius*, *Polit.* Lib. I. cap. 3. (kkk) *Stobæus*, *Eclog.* *Phys.* c. 8. (lll) *Diog. Laert.* Lib. VII. in *Pyth.*

causam esse. Naturalia quippe omnia fatali necessitate fieri censuit. Idem paulò aliter Stobæus tribuit *Leucippo*, cujus opinio fuerit: πάντα κατ' ἀνάγκην· τίω δ' ἀστυὸ ὑπάρχον εἰμαρμένω λέγει ὅ ἐν τῷ πᾶσι νδ. Οὐδέν χεῖμα μίττω γίνεται. ἀλλὰ πάντα ἐκ λόγου, καὶ ὑπ' ἀνάγκης. *Omnia fieri necessitate; atq; eandem esse fatum, ait enim libro de mente: Nulla res frustra fit: sed omnia fiunt ratione, atq; ex necessitate. De Pythagorâ tamen testatur Jamblichus (mmm): Sic eum statuisse Fatum ut Liberum arbitrium in animo extra controversiam reliquerit. Secus ac Heraclitus, qui εἰμαρμένω [referente Plutarcho (nnn)] dixit λόγον τῆς διὰ δόξας ἔπαντις διήκοντα: rationem per omnem naturam permeantem.*

XIV.

Opiniones autem has non tam approbavit quam mitigavit **P**LATONIS de Fato placitum. Præterquam enim quod *Alcinous* (ooo) ex mente ejus asserit: πάντα μὲν ἐν εἰμαρμένῃ εἶναι, δὲ μὲν πάντα καθειμάρται, omnia quidem esse in fato, non omnia tamen esse in eodem decreta; *Chalcidius* (ppp) certè optimus verborum Platoniorum interpres, ad *Timæum* expresse notat: Juxta Platonem præcedere providentiam, sequi autem fatum, & mox: *Fatum dicimus quidem ex Providentia fore, non tamen providentiam ex fato. Juxta Platonem igitur Fatum dupliciter intelligitur: Unum cum substantiam ejus animo intuemur; alterum cum ex his quæ agit, & esse id, & cujusmodi vim habeat recognoscimus. Plutarchus* (qqq) quoque in recensendis Veterum opinionibus diligentissimus, pulchrè mentem *Platonis* exprimit: sc. juxta illum τίω εἰμαρμένω συμπλοκῶ εἶναι αἰτιῶν τεταγμένω, ἐν ἧ συμπλοκῇ καὶ τ' παρ' ἡμᾶς. ὅτι τὰ μὲν εἰμάρται τὰ δὲ ἀνειμάρται. *Fatum esse connexum causarum ordine contentum, quo etiam concludantur ea, quæ à nobis fiunt: ut sic alia haberi debeant fatalia, alia non decreta fato. Porro longè infra Deum Platonem* (rrr) *Fatum* collocasse appellationes eidem tributæ satis evincunt. In *Phædro* enim ΑΔΡΑΣΤΕΙΑΣ ΝΟΜΟΝ; In *Timæo* verò *Legem quam Deus*

(mmm) *Jamblichus in vitâ Pythag.* (nnn) *Plutarchus, Lib. I. de plac. c. 28.* (ooo) *Alcinous, de dogm. Plat.* (ppp) *Chalcidius, ad Plat. Timæum.* (qqq) *Plutarchus, Li. I. de plac. Phil. c. 27.* (rrr) *Plato, in Phædro. Idem, in Timæo.*

Deus de Universa rerum natura coelestibus animis dixerit, expressè
vocat, etsi rudi forma in his locis fatum eum descripsisse Plutar-
chus. [Lib. de Fato] judicet. Retinuit eandem appellat. Cicero, qui
æternæ Legis Imperio omnia fieri putavit, eoq; respexit absque
dubio Pindarus: νόμον πάντων βασιλέα θνατῶ καὶ ἀθανάτων, Le-
gem Reginam omnium, mortalium & immortalium designans. Paucis
ut totam ejus hâc de re sententiam comprehendamus, Tria Plato
maximoperè voluit distincta: Deum tanquam Summum Bonum,
Providentiam, tanquam ejus actum æternum, & Providentiæ pro-
tem, nempe fatum, quod per Legem divinam ad rerum omnium Sa-
pientem gubernationem promulgatam, definivit. Cujus rei te-
stem haud certiozem producere possumus, præterquam ante lau-
datum Chalcidium (sss), qui d. l. sic differit: Placet Platoni, neq;
omnia providentiæ adscribere, neq; Fortune, & Fato; Sed
quædam ex providentiâ, quædam ex decreto, nonnulla ex volun-
tate nostra, quædam etiam ex varietate fortune casuq; accidere.
Horum autem nullum alterius subijcere voluit potestati, verum
cui libet suum in producendis effectibus Imperium assignare,
Satis autem mirari non possumus, Proclum (ttt), Scholæ Plato-
nice Discipulum, ex ipsa Platonis mente asserere: Non solum
Deos, verum etiam animas singulas, quæ nempe secundum men-
tem vivunt, & providentiæ Lumini se dedunt, ipsis Fatalibus Le-
gibus esse Superiores. Intellexisse autem Platonem potius animas
ex sua sententiâ ante genituram creatas, & post mortem iterum à
corpore separatas, idem ad Timæum Lib. V. notat, his verbis: Un-
de facile est comprehensu, ex Platonis Sententiâ, animas fato esse po-
tiores, spectatas ex vita ea, quam supremam obtinent. Id enim illis
secundum naturam est, quod dat eis universi pater. Unde & ipsæ con-
siderantes Patris opera, portionis fatalis alas impunè effugiunt. Non
secus ac e. g. probi & boni sub dominio Legum Civilium à Magi-
stratu latorum securè vitam transigunt. Recedere aliquantulum
à Magistri sententiâ videtur Jamblichus, [Philosophus Platoni-
cus (uuu), ab Evnapio (xxx) Ἰαμβλίου, à Proclo Θεῶ (yyy),
à Dn.

(sss) Chalcidius, ad Timæum Plat. (ttt) Proclus, in Theol. Plat.
 Lib. IV. c. 16. (uuu) Jamblichus, in Epist. ad Sopatr. (xxx) Evna-
 pius, in vita Jamblichi. (yyy) Proclus, in Timæum.

à Dn. D. *Qvenstet* (zzz) verò reverà magus & Christianis infen-
 sissimus dictus], dum in Epist. ad *Sopatrum* totam fati substan-
 tiam in *Natura* posuit; quid autem per naturam ille intellexit,
 mox subjungit; sc. inseparabilem mundi, & totius genituræ cau-
 sam, regimina quoq; illius in se continentem, per quæ cum *Pla-
 tone* nil aliud quam *Adrastæ Legem*, seu *Fatum* hoc universum
 gubernans indigitavit. In eandem quoque cum *Platone* senten-
 tiam concesserunt *Maximus Tyrius* (a), *Apulejus* (b), *Tacitus* (c),
 aliiq; plurimi. *Apulejus* quidem d. l. *Fatum*, per quod inevita-
 biles cogitationes Dei, atq; incepta compleantur, definiens, certè
 nihil aliud quam *Adrastæ Legem* à *Platone* confictam intelligit,
 præsertim cum dicente *Plutarcho* (d), Lib. de *Fato*, *Providentiam*
 & *Fatum* definiaverint ἡ πεῶτα θεῶ νόησις εἴτε βέλησις: *Supremi*
Dei cogitationem sive voluntatem. Ex hisce autem dictis neuti-
 quam colligendum est, *Fato* à *Platone* omne in regendis animis
 humanis denegari Imperium, sed duntaxat arbitriis Libertatem
 cum fortiter defendisse, teste *Plutarcho*, atq; *Chalcidio*, ll. dd.

XV.

Ex hoc autem fermento *Platonico*, non parum auctum fuisse
Pharisaicum, ex ipso *Josepho* (e) colligimus, qui illos quæ-
 dam fati, quædam vero potestati nostræ adscripsisse perhibet.
 Et alibi (f): nec omnia fato fieri dixisse, nec homini voluntatis suæ
 motionem ademisse, quia nimirum *Deus* mixturam quandam sui ju-
 dicij fecerit. Etsi autem *Josephus Albo* (g) quosdam ex illis libe-
 rum arbitrium in homine negasse scribat, planè tamen contrarium
 scholia *Ebraicâ* addictum *Aquibæ Pharisei* in *Aboth*, cap. 3.
 הכל צפוי והרשור נתונה notat, h. m. Licet homini face-
 re id quod vult: & mox, Potestas sive facultas est in manu hominis:
 si vult, peccat, & si non vult, cohibetur, sicut Scriptum est: ecce posui co-
 ram te vitam & mortem, bonum & malum. Hoc ipsum autem ar-
 bitrium,

(zzz) D. *Qvenstet*, *Dial. de Patriis Illustr. doctr. & scriptis vir.*
 p. m. 516. (a) *Max. Tyrius*, *Dissert. An data divinatione aliquid sit*
in nostra potestate. (b) *Apulejus*, de *Dogm. Plat.* (c) *Tacitus*,
annal. VI. Libr. (d) *Plutarch. Lib. de Fato*. (e) *Josephus*, *Antiq.*
Judaic. Lib. XIII. cap. 9. (f) *Idem*, *Lib. XVIII. cap. 2.* (g) *Jose-*
phus Albo, *Libr. fundam. Iccarum dictorum*, *Serm. I. cap. 9.*

bitrium, juxta *CL. Drusium* (b), **הבחירה** electio, item **הרשות** potestas ac licentia dicta, ab ipso Deo juvari censet. R. David, Psalm. CXIX. per hæc verba: *Deus liberat hominem à peccato. Nam licet dederit ei liberum arbitrium, si tamen rectus est, adjuvat eum in via bona.* Non negamus verò Astrologos ipsos nonnihil Arbitrii Libertati detraxisse, à stellisq; illud statuisse, inhiberi, dicente enim Abr. Zackuth Planetam quendam actiones nostras dirigentem atq; juvantem agnoverunt. Et si Menasseh ben Israel (i) fides adhibenda, ipsa **מעריה הכוכבים** ordinatio stellarum fatum Ebræorum est, qui ad sententiam hanc stabilendam citat R. Bahye testimonium, quod tale: vita hominis decreta est per iudicium cœlestis constellationis. Non dicam jam **כוכב צדק** sive **מול טוב** *ἀγαθὸν πύχλω*, à *Seldeno* (k) idem ac stellam Jovis dici. A Phariseis autem diversissimi Sadducæi, fato repudiato, à nostrâ voluntate omnia pendere putabant. Audiendus iterum ipse Josephus est, qui loco dicto de illis hunc in modum: *Σαδδουκαῖοι δὲ τὸ δεύτερον τῆ γὰρ πλὴν μὲν εἰμαρμένῳ πάντα πᾶσι ἀναρῶσι.* Sadducæi verò secundus ordo fatum omninò tollunt, & alibi: Dicunt nihil fataliter evenire, hominibus, & omnia in nostrâ potestate esse, ut tam felicitatis nobis ipsi authores simus, quàm infortunii, si deteriora consilia secuti fuerimus. Imò juxta laudatum *Drusium* (l) Principes Sadducæorum Sadoc & Baithos, principes quoque Epicuræorum fuerunt, eò quod illi cum fato ipsam providentiam è medio sustulerunt. Hæsseni seu Esseni deniq; omnium rerum Dominum fatum constituerunt, hominibusq; juxta illud cuncta contingere censuerunt. Ita enim rursus de illis Josephus l. a. τὸ πᾶν Ἑσσηνῶν γὰρ πάντων πλὴν εἰμαρμένῳ κυρίαν ἀποφαίνεται, καὶ μηδὲν ὁ μὴ κατ' ἐκείνης ψήφῳ ἰδομένοις, vid. *Drusium* (m).

XVI.

CUm autem graviter dicente *Alexandro Aphrodisiense* (n), in hæc inquisitione majus momentum haberi vix possit, quam
ARISTO-

(b) *CL. Drus. de Sectis Judaicis Comm. Lib. II. cap. 14.* (i) *Menasseh ben Israel, de T. V. Lib. I. sect. 3.* (k) *Seldenus, Syntagm. I. de Diis Syr. c. 1.* (l) *Drusius, d. I. & L. III. c. 12.* (m) *Drusius, l. d. Lib. IV. c. 22.* (n) *Alexand. Aphrodis. Lib. de Fato.*

ARISTOTELIS nosse Sententiam, ad illum, missis *Academicis* properamus. Nulla autem in re suum adeò suspendit Judicium, quam in ferendâ de *FATO* sententia, ita ut ex Peripateticorum aſſectis potius, quam Chorago eruendum veniat illorum placitum. Inter duos autem gravissimos errores in *Philosopho à Gregorio Nazianzeno* (o) damnatos, reperimus primo statim loco ΤΗΝ ΜΙΚΡΟΛΟΓΟΝ ΠΡΟΝΟΙΑΝ, seu *Providentiam ab eo exiguis nimis limitibus circumscriptam*, deinde τὰς θνητὰς ψυχῆς λόγους *Mortales de Animâ Sermones*. Primum aliquantò exactiùs exprimit *Theodoretus* (p): Τὴν γῆν τῆς θείας κηδεμονίας ἐστέρησε. τὰ γὰρ δὴ μέχρι σελήνῳ ἰθύνειν ἔφησε τὸν θεόν. τὰ δὲ γὰρ αἶλλα ὑπὸ τῶν εἰμαρμένῶν τεταχθαι. *Terrarum orbem divine providentiæ exsortem facit: Ait enim ad Lunam usq; divinam ordinationem proferri: cetera verò fato esse subjēta*. Eandem *Philosopho* opinionem tribuit sæpè laudatus *Chalcidius* (q) in *Tim. Plat.* hoc sensu: Aristoteles Dei providentiam usq; ad Lunæ regionem progredi censet: infra verò neq; providentiæ scitis regi, nec angelorum ope, consultisq; sustentari; nec verò dæmonum prospicientiam putat intervenire; proptereaq; tollit omnem divinationem, negatq; prænosci futura. Injuriam autem ex parte *Aristoteli* hoc ipso fieri, Mentem ejus penitus perspicienti, non potest non esse obvium. Quippe qui Providentiam Dei seu Fatum non removit à *sublunaribus*, sed à curâ tantum *individuum*, quatenus sunt talia. Dupliciter enim accipi potest sententia communiter *Peripateticis* tributa: vel simpliciter seu ratione specierum, vel ratione *individuum*, remotam sc. ab iis esse providentiam. Prius et si *Platonici* ipsis affingant, posterius tamen seriò statuisse *Aristot.* *Alex. Aphrodisiensis* (r) insignis *Peripateticus* testatur. Eandem *Philosophi* mentem non tantum d. m. exprimit, verum approbat etiam *Rabbi Majmonides* (s), [de quo notum illud *Ebræorum*: משה ער משה לא קם כמשה A Mose, (sc. Propheta) ad Mosē (Majmonidem) non surrexit sicut Moses] ita tamen ut excipiat

C 2

piat

(o) *Greg. Nazianzenus, Orat. 1. de Theol.* (p) *Theodoretus, de Curat. Gr. Voc. Serm. V.* (q) *Chalcidius, Comment. in Tim. Plat.* (r) *Alex. Aphrodis. d. l.* (s) *R. Mos. Majmon. Doctore Dubit: part. III. c. 17.*

piat individua humani generis, sententiam hanc desumimus ex
 ejus מורה נבוכים seu *Doctore Perplexorum*, ubi hæc legu-
 tur: *Credo Providentiam Dei inter res subterlunam non curare in-*
dividua, nisi quæ sunt humani generis: esseq; humanam speciem so-
lam cujus negotio quæq; ei eveniunt bona aut mala, justis judiciis gu-
bernentur. Cætera animantia & res alias quod attinet, de eis am-
plector Aristotelis Sententiam: nec credo folium quod ex arbore de-
cidit, peculiari divina prospectione cadere, aut muscam capi ab ara-
neis &c. hæc & alia omnia ex mea non minus quam Aristotelis Sen-
tentia casu fiunt. Plura eodem loco lectu dignissima ad suam A-
ristotelicam Sententiam stabiliendam reperiuntur.

XVII.

Sed ad ipsum rursus *Philosophum* ejusq; sectatores. Qui argu-
 mentum præcipuum ad denegandam Individuis providen-
 tiam, ab eorum *Contingentiâ* desumerunt. Videre enim non
 poterant (t) [ut *Vossius* loquitur], quomodo si Deus curaret con-
 tingentia, sine suo non sæpius frustraretur, quod ejus argueret
 impotentiam. Legem imponere *contingentibus*, [ut *Pompona-*
tius (u) ex eorum mente ait,] perinde est ac si quis asinum doce-
 re vellet *Philosophiam*. Maximam porrò operam dabant,
 [non secus ac *Platonici*] placitis suis relinquere *Liberum in homine*
arbitrium, quod sublatum iri putabant, si providentia ad ipsa in-
 dividua extenderetur. Etsi igitur Deo curam singulorum dene-
 garent, specierum tamen neutiquam excludebant, hocq; ex ipso
Aristotele (x) dabimus demonstratum, qui *sublunaria* expressè
Fato pariter generari & interire concedit, Locus est *Φυσ. ἀποασ.*
V. Text. 57. ubi sc. *Φθορὰν* s. corruptionem dicit vel *ἄλλὰ φύσιν* præ-
 ter naturam, vel *κατὰ φύσιν* & secundum naturam. Prioris ge-
 neris etiam dicit esse *βίαιον*, s. violentam, sicq; infert: *ἀπέραις εἶσιν*
ἐνίοι βίαιον, καὶ οὐκ εἰμαρμέναι, αἷς ἐναντίας αἰ κατὰ φύσιν. Sunt
 & ortus quidam violenti, non fatales, quibus contrarij sunt ortus natu-
 rales. Ubi per fatale nihil aliud intelligit, quam quod secun-
 dum Legem ac cursum naturæ universalis contingit. Ut enim
 ex

(t) *Vossius. l. d. cap. 45. pag. 557.* (u) *Pomponatius, Lib. II. de Fa-*
to, cap. 1. (x) *Aristoteles, Lib. V. Physic.*

ex *Alexandro Aphrodisiensi* (y) colligimus, præcipua fati vis in iis quæ naturâ fiunt, à Peripateticis posita est, adeò ut Fatum, cum natura maximè reciprocrari possit. Quicquid fatale est, [infert ille,] illud ex natura est, quicquid ex natura, fatale. Nominè quoq; fati se nihil aliud intelligere, quam *οὐκείαν Φύσιν* naturam propriam protestatur, quæ sit *δὲ ἢ ἐκείνη καὶ αἰτία τῆς τῶν γινόμενων ἐν αὐτῷ κατὰ φύσιν τάξεως*. Principium cuiusq; & causa ordinis eorum, quæ in eo fiunt secundum naturam. Etsi autem per *fatum* naturæ indiget necessitatem, ne utiqvam tamen *naturalia omnia necessario* fieri existimat *Alexander*: Sæpè enim [ut eodem Libro pergit] ortus eorum impediuntur, quæ sic fieri solent, nam quæ naturâ fiunt ex eorum numero sunt, quæ *plerunq;* sic eveniunt, non tamen *mera necessitate*. Unico verbo juxta *Peripateticos* propria cuiusvis natura, & causæ necessaria effectum producentes, *fatum* constituunt. Nec à ratione aberret [ut idem (z) colligit] qui dixerit, *propriam cuiq; naturam causam esse* & principium connexus eorum, quæ à quoque secundum naturam fiunt. Ab illa enim ut plurimum vitæ hominum suam seriem, exitumq; accipiunt. Quæ etiam secundum seriem & consequentiam quam res inter se habent, fiunt, ubi causa posita effectus necessario sequitur, *FATUM* ex mente *Aristotelis* est (aa). Ubi non reticendus est Locus Philosophi VI. Met. c. 3. in quo mentem suam de necessitate causarum, & earum nexu optimè exprimit h. m. *Ἐξ ἀνάγκης πάντ' ἔσται, εἰ ἔ γινόμεναι καὶ φθειρομέναι κατὰ συμβεβηκὸς αἰτιόντι ἀνάγκη εἶναι*. Omnia ex necessitate erunt, si ejus quod fit & corrumpitur causam aliquam non per accidens necesse sit esse &c. Locus aliquantum obscurior explicatione opus maximè habet quam accurata [juxta *Celeberr. Sperling.*] (BB) & meditata *Fonseca* (γγ) commentatio, raræq; & pretiosæ suppellectilis, suppeditat. Ratio inquit hæc est: Si Effectus est futurus posita proxima illius causa, & hujusmodi causa est futura posita ejus causa proxima, & hæc posita alia priori, nihilq; impediat efficaciam talium causarum; certè data jam in præsentem tem-

C 3

pore

(y) *Alex. Aphrod. lib. de Fato.* (z) *Idem, ibidem.* (aa) *Arist. VI. Metaph. cap. 3.* (BB) *Sperling. Med. ad Scal. XIX. Effato. 2.* (γγ) *Fonseca, Comm. in Met. Arist. pag. 74.*

pore re aliqua, ex quâ sequatur proxima ex futuris causis, omnia ex
 necessitate evenient, modo res præsens necessario sequatur ex alia
 præterita, & illa ex alia, ita ut nunquam possit inveniri causa,
 quæ impediatur per accidentarium concursum alterius causæ.
 Hunc autem connexionem causarum ad producendos effectus neces-
 sarium, *fatum Philosopho* dici, cum reliquis interpretibus *Alexan-*
dro (δδ), *Themistio*, (εε) *Averroë*, & recentioribus omnibus evin-
 cit imprimis *Philipp. à SS. Trinitate* (ζζ), *Sum. Philosoph. Voss-*
sius (ηη), *Sperlingius* (θθ), aliiq; plurimi. De futurorum verò,
 tam necessitate quàm veritate patet *Philosophi mens Lib. de Inter-*
pret. (ιι) & ex *Ammonij Hermæ ad eundem commentario* (κκ).

XVIII.

Ast à deambulatione tandem in *P O R T I C U M*, à Peripateti-
cis ad STOICOS deveniendum. Quorum *Auditorio* sta-
 tim inscripta hæc verba deprehendimus: ΚΑΤ' ΕΙΜΑΡΜΕΝΗΝ
 ΠΑΝΤΑ ΓΙΝΟΝΤΑΙ. Non quidem tantùm quæ necessario, ve-
 rùm quæ & *Contingenter*, Fortunâ sc. casuq; fieri dicuntur. Con-
 sentit tota Stoicorum turba, *Zeno*, *Epicætetus* (λλ), ejusq; commen-
 tator *Simplicius* (μμ), *Chrysippus* (νν), *Seneca* (ξξ), *Boethius* (οο) &
Posidonius (ππ). Ex quorum mente *Diogenes Laertius* (ρρ) fati hanc
 ponit definitionem: ἐστὶ δὲ εἰμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη, ἢ
 λόγος καὶ ὅν ὁ κόσμος διεξάγεται. *Connexa rerum series sive*
ratio per quam mundus administratur. Non multum ab hâc differt
Stobæi (σσ), quando definit per λόγον, καὶ ὅν τὰ μὲν γεγονότα γέ-
 γονε, τὰ δὲ γινόμενα γινώεται, τὰ δὲ ἄρρησόμενα ἄρρησεται. *Ratio-*
nem, per quam facta sunt facta; quæ fiunt, fiunt; quæ futura, fient.
 Ubi dicente *Lipsio* (ττ), illi tot discriminum (ab aliis sectis con-
 ficto-

(δδ) *Alex. Aphr. in probl. Natural.* (εε) *Averr. in Lib. Metaph.*
XII. cont. 51. (ζζ) *Philipp. à Sanctiss. Trinit. Summ. Phil. Prima se-*
cunde, Quest. 13. Artic. IV. p. m. 575. (κκ) *Vossius, l. d. p. 558.* (θθ)
Sperling. l. d. (ιι) *Arist. Lib. de Interpret. c. 9.* (κκ) *Ammonius*
Hermæ, Comment. ad eund. (λλ) *Epicætetus in Enchiridio,* (μμ) *Sim-*
plic. ad Eund. (νν) *Chrysippus, in Lib. de Fato, cit. Laertio.* (ξξ) *Se-*
neca, de Provid. (οο) *Boethius, l. de Fato.* (ππ) *Posid. 2. de Fato.*
 (ρρ) *Diog. Laertius, de Vit. Philos. Lib. VII.* (σσ) *Stobæus,*
Eclæg. Phys. (ττ) *Lipsius, Physiol. Stoicæ, Lib. I. cap. 12.*

fictorum) incuriosi, ab uno Deo ista omnia quaecunq; accidunt
 provenire existimarunt. Quo pertinet sententia Chrysippi ab A-
 gellio (υυ) ex ejus de Fato Libris citata, quando εἰμαρμένω dixit
 εἶναι φυσικῶν σωτηρίων τῶν ὄλων, ἐξ αἰδῆς τῶν ἐτέρων πῆς ἐτέροις
 ἐπακολυθόντων, καὶ μετὰ πλὴν μὲν ἐν ἀεὶ διαβάτῃ εἰς τῆς ποι-
 αύτουσ συμπλοκῆς. *Fatum esse naturalem compositionem universo-
 rum ab aeterno mutuo sese consequentium, immutabili & inviolabili
 hâc complicatione.* Quamquam verò distinctionem aliquam inter
fatum & providentiam nonnulli concedant, frequenter tamen
 cum illa pariter ac cum ipso Deo confundunt. Audiamus Sapi-
 entissimum Senecam (φφ). *Deum Fatum si dixeris non mentieris,*
 & alibi (χχ): *Vis Jovem Fatum* vocare, non errabis, *vis providen-*
tiam dicere, rectè dices, hic est ex quo suspensa sunt omnia causa
 causarum. *Libro autem de Provid.* (ψψ) in verba tanto viro
 haud digna erumpit: *Quicquid est quod nos sic vivere iussit, sic*
morī, eadem necessitate & Deos alligat. Irrevocabilis humana pa-
 riter ac divina cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac Re-
 ctor scripsit quidem fata, sed sequitur, semper parat, semel iussit.
 Ubi non negligendum est quod Muretus (ωω) *Comment. ad h. l.*
 notat: *Fatum* vocabant antiquissimi *Jovis consilium*, quo rege-
 rentur omnia, decepit forte eos lectio apud Homerum: *διὸς δ' ἐπι-*
λείπει βελή *Jovis est perfecta voluntas*, seu potius juxta Lipsium (1),
 consilium & decretum, per quod ipsum fatum intelligebant. Con-
 sentiunt præter hunc Vossius (2), atq; Martinus (3), ll. dd. Sem-
 piterno insuper nexu omnia fatalia cohære, Cicero (4) ipse cum
Stoicis sentit, qn. II. de Div. ab omni aternitate fataliter cuncta
 destinata esse contendit. Tandem autem cò progressi sunt, ut
 non amplius fata prudenter declinare, verum strenuè sequi, &
 tanquam irrevocabilibus jugulum subicere, fortitudinem non
 minus quam sapientiam ducerent. Testem nominamus Epictet-
 um (5), qui cum cuilibet incepto præmittendam talem preca-
 tionis

(υυ) Agellius, Noët. Att. Lib. VI. c. 2. (φφ) Seneca Lib. II. de
 benef. c. 7. (χχ) Idem, Nat. Quæst. c. 45. (ψψ) Idem, Lib. de Pro-
 vid. cap. 5. (ωω) Muretus in Comment. ad Sen. Lib. de Provid. (1)
 Lipsius, l. d. (2) Vossius, l. d. (3) Martinus in Lexico. (4) Cicero
 II. de Divinat. (5) Epictetus in Enchir. cap. 77. & 78.

tiunculam, proposuisset. *Me Jupiter duc, & Fati necessitas, quocumq; vestro destinatus Numine sum, volens sequar; hunc in modum pergit: ὅστις δ' ἀνάγκη συγκεχώρηκε καλῶς, σοφὸς περ' ἡμῖν, καὶ τὰ θεῶν ἐπίσταται. Necessitati qui probe se accommodat, sapit: Est q; rerum divinarum conscius. Ad quæ verba Simplicius (6), Ἀνάγκη γ' ἔστιν ἡ Ἰπὶ τὸ αἶψα καὶ τὴν θεῶν αἰτίαν πάντα ἄγχοσα, ἐκόντά τε καὶ ἄκοντα. καὶ ὁ ταῦτα συμφωνῶν, καὶ ἀκολοῦθῶν, καὶ μὴ ἀντιτείνων, ἀλλ' ἀέκως ἐπόμεν. ΣΟΦΟΣ ὄντων ἔστι, τὴν τε τῶν ὄντων φύσιν, καὶ τὴν τῶν ἔλων, καὶ τῶν μερῶν διαφορὰν καλῶς Ἰπιστάμεν. καὶ τὸ τῆς θεῶν δυνάμεως, κατὰ τὸ περὶ τὸν ἡμῶν. h. e. Necessitas est quæ ad superna divinamq; causam reducat omnia tam invita, quam voluntaria, cui qui assentitur, nec renititur sed strenuè sequitur VERE SAPIENS EST, rerumq; naturam, partium, ac totius discrimen satis intelligit, & honorem habet eum qui divinæ potentiaæ convenit.*

XIX.

Tanto autem majori odio *Sectam* hanc prosequerentur reliqua, quanto intensiore studio Deum authorem criminum appellare prohibebant. Ab hoc enim scelere *Fatalem* omnium rerum necessitatem statuentes, immunes esse vix possunt. Reliquis tamen hoc ipso melior *Chrysippus* (7), etsi omnia fato fieri [quia illud nulla vi aut astu hominis eludi possit] contenderit, culpam tamen delictorum non Deo, vel fato, sed *malitie humane* adscribit. Hinc *Cicero* (8) de eo: *Chrysippus* tanquam arbiter honorarius, medium ferire voluisse videtur. Applicat se ad eos tamen qui animos à malis necessitate liberatos volunt. Singulari autem studio has Stoicorum sententias non tantum mitigare, verum veritati etiam consentaneas reddere *Lipsius* (9) conatur, quando illos Deum non *fatis* subjecisse, verum irrevocabilem tantum mandatorum ejus ac statutorum executionem statuisse putat. Hinc imbecillitatem Deo hoc ipso tributam potius *constantiam in servandis & non revocandis Decretis* ex Stoicorum mente dicendam esse arguit. Pulchrè autem hæc de re judicat.

Vof-

(6) *Simplicius, Comment. ad Epictet. edito, & notis illustrato à CL. Salmasio.* (7) *Chrysippus, l. d.* (8) *Cicero, Libro de Fato.* (9) *Lipsius, Physiol. Stoicæ, Lib. I. cap. 12.*

Vossius" (10) d. l. idem à Lipsio factum fuisse in Stoicis, quod à Scholasticis in Aristotele, probabiliorem sc. ac meliorem eum finxisse opinionem, quam revera habuerint, nempe ne tanti nominis Philosophi à veritate Christianâ longè nimis abiisse viderentur. Habet certè ipsos Stoicos sibi in faciem contradicentes præter jam jam allegatos, Herodotus (11), τὴν πεπεωμένω μοίρῳ ἀδυσάτ' εἶναι ἀποφηγέειν καὶ θεῶ. *Destinatam sortem nec Deo fas esse effugere scribens*, limitationem omnem respuit. Addimus illud Philemonis: Δεῖλοι βασιλέων εἰσιν, οἱ βασιλεῖς θεῶν, ὁ θεὸς ἀνάγκης. *Sunt Regibus Servi, Rex Servus est Deo, Deus Necessitati.* Apparet autem Errorem hunc Stoicorum maximam partem è non intellecta Peripateticorum de Causis, earumq; nexu doctrinâ promanasse. Hunc enim cum non tantum in naturalibus ut Aristoteles, verum in voluntariis quoque statuissent, nihil à Fatorum exceperunt crudelitate, nec ullos actus humanos, nec ipsum vitæ terminum. Cum etiam in Voluntariis juxta illos causæ sint antecedentes, ac voluntas humana sempiternæ causarum seriei includatur, Fato in omnes res attribuerunt Imperium. Unica igitur fermè vitiosa hypothesis, quâ Stoici à rebus mundanis contingentiam removerunt, infinitorum errorum genitrix evasit. In qua refutanda, & adstruenda contraria laudabilem vetustiores pariter ac recentiores collocarunt operam, vid. Scotus (12), Jac. Martin. (13) Dn. Scheiblerus (14), & Cl. Dn. M. Löfflerus (15), qui aliquot rationibus satis prægnantibus evincit, res mundanas contingentia neutiquam esse privandas. Altiores insuper in Animis ipsorum radices egit *FATUM Astrologicum*, quod ab influxu siderum omnes actiones nostras, unice pendere, ab eoq; regi mentiebatur. Etsi autem Seneca (16) de veritate opinionis hujus ipse dubitet, Manilius tamen una cum reliquis eò lubentius illam receperunt, quo firmiter fatalem omnium necessitatem inde pro-

D

bari

(10) Vossius, d. l. C. XLIX. pag. 580. (11.) Herodotus 1. (12) Scotus, Lib. I. Sent. dist. 39. (13) D. Jac. Mart. Part. Met. Lib. I. sect. 10. quest. 2. (14) D. Scheiblerus, Op. Metaph. Lib. I. cap. 18. n. 28. (15) Dn. M. Löfflerus, Disp. de Necess. & Conting. §. 2. & 3. (16) Seneca, Epist. 88.

bari posse putabant. Distingvendum licet omninò sit *Stoicum*, à *Fato Astrologorum*, cum illud omnes res necessitati alliget, in removenda tamen arbitrii libertate utrumq; conspirat. Hinc quando *SS. Patres* fati fatuitatem impugnant, plerunq; de *Stoico* loqvuntur, & *Aströlogicum* subintelligunt. Patet hoc ex non uno *Augustini* (17) loco: Si propterea quisquam res humanas fato tribuit [scribit *Lib. V. d. C. D.*] quod ipsam *Dei* voluntatem & potestatem, fati nomine appellet; sententiam teneat & linguam corrigat. Cur enim non hoc primùm dicit, quod postea dicturus est, cum ab illo quisquam quæsierit, quid dixerit fatum? nam id homines quando audiunt, non intelligunt nisi vim positionis siderum. Et alibi (18): Nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen uti solet à loquentibus poni, [i. e. in constitutione siderum, quâ quisque conceptus, & natus est] quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus. Plura de *Fato Astrologico* qui desiderat, inveniet ap. *G. J. Vossium* (19). I. alleg. qui illud partim in veris certisq;, partim verò incertis, falsis imò impiis principiis fundatum esse demonstrat.

XX.

A Stoicis autem, ut animo sic placitis quoque penitus discesserunt *Epicuri de grege porci*, aliam prorsus, illisq; in omnibus contrariam sententiam fovendo. Non tantum enim fatum cum providentia sustulerunt in iis quæ *contingentia* diximus, àq; libertate hominis pendent, *verum in necessariis* etiam, & naturalibus. Audiamus de *Epicuro ipso Plutarchum* (20): Ubiq; ille in hoc laborat, & studium admovet, ut ab æterna motione liberet, absolvatq; id, quod nostrâ sponte fit, vitiumq; ponat extra reprehensionem. Ne autem quis aliorum invidiam eidem hanc opinionem affinxisse existimet, producamus ipsius *Epicuri* (21) Verba, ex *Epist. quadam, à Diog. Laert.* (22) citata, quæ talia: *Eò quod fortuna est instabilis, id quod in nostra potestate, nullo sub Domino est.* Rationem autem hanc *Epicurus* (*Democriti* sententiam deferens

(17) *Augustinus, Lib. V. de Civ. Dei, cap. 1.* (18) *Idem, ibid. c. 9.*
 (19) *Vossius, d. l. c. 47. p. 563. seqq.* (20) *Plutarchus de Stoicis sibi.*
Contradicent. (21) *Epicurus, Epist. ad Menæes.* (22) *Diog. Laert.*
Lib. 10. in Epicuro, p. 784.

ferens) induxit, quia veritus est, ne si semper atomus gravitate ferretur naturali, & necessaria, nihil liberum nobis fieret, cum animus etiam ita moveretur, ut motu atomorum cogeretur. Judicante *Cicerone de Fato* (23). Inter ipsos autem *Israëlitas* quosdam idem cum *Epicuro* sensisse, fatetur *R. Majmonides, l. all.* (24)

XXI.

PRætereundæ tandem neutiquam sunt à nobis *distinctiones*, ab ipsis *Gentilibus* in intricatâ hâc doctrinâ adhibitæ, & frequenter usurpatæ. Quarum primam, *Fatorum Conditionalium, & Denunciatorum* differentia constituit. Egregiè hanc explicat *Servius*, ad illud *Virgily* (25),

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,

Sunt fata (inqv.) quæ dicuntur *denunciativa*, sunt alia quæ *conditionalia* vocantur. *Denunciativa* sunt, quæ omnimodo ventura deferunt, ut v. g. *Pompejus* Ter triumphaturus est, hoc illi fata dederunt, ut ubicunq; terrarum fuerit ter triumphet: non potest aliter evenire, & idè fatum quod hoc denunciât, denunciativum vocatur. *Conditionale* verò hujusmodi est, *Pompejus* si post *Pharsalicum* bellum *Ægypti* littus attigerit, ferro peribit, hic non omnimodo necesse erat ut videret *Ægyptum*, sed si casus illum ad aliam regionem forte duxisset, evasisset & c. Ex ipsius quoq; *Platonis* mente *Conditionalia* ejusmodi Fata statuit *Alcinous* (26). Fatum Legis vim non habere existimans, ut dicat, id enim in infinitam extendi, cum res quæ fiunt & accidunt infinitæ sint, sed hoc modo: Si quis animus talem vitam eligat, & talia faciat, talia quoque eum consequi. Legem enim (ut ipse *Plato*, L. IV. de Legibus docet) hanc normam esse, per & juxta quam *Deus* homines regat, ita ut qui eam sequantur benè vivant, in his terris, qui verò ab eâ recedant, se & alios in exitium dent. In *Phædone* verò præclarâ illa spe se sustentati affirmat, quod ob observatam hanc Legem se post mortem superstitem fore sciat, nulliusq; rei se tam esse certum dicit, quàm quod *ἄρα τὸν ἀγαθὸν καὶ φερόμενον θεὸν, ad bonum ac providentem Deum, sit perventurus*. Deinde aliud ipsis fuit *Fatum*, aliud *Fatale*, illud Legem ipsam, hoc verò executionem ejus appellarunt, ast *Platonici* tantum quibus (dicente *Stobæo* (27) εἰμαρμένη νόμος αἰδιός, τῆς ἑκαστοῦ φύσεως. *Eterna natura universi Lex dicta fuit.*

(23) *Cicero, de Fat.* (24) *R. Majmon. d. l. L. III. c. 17. p. 325.* (25) *Servius, in IV. Aeneid.* (26) *Alcim. de Dogm. Plat.* (27) *Stob. Eclog. Phys. c. 9.*

Suam facit hanc distinctionem *Chalcidius* (28): Aliud *fatum* dicens, aliud vero ea quæ *fatum sequuntur* ex inevitabili necessitate, seu *fatalia*. Breviter, differunt hæc duo ut *Lex & Legitimum*, quemadmodum igitur non omnia legitima sunt, quæ *Lex* complectitur, siquidem *Lex & furtum & adulterium* in se comprehendit, ita nec *fatalia* omnia, quæ *fatum* sequuntur. *Plutarchus* (29) quoque eandem distinctionem admittens, ea tantum *fatalia* dicit, quæ consequentia sunt iis, quæ in divina ordinatione præcedunt. *Fata*, (ut idem paulò post pergit) comprehendunt omnia, illa autem omnia non fiunt ex *fatali* necessitate.

XXII.

PRO diversissimis tandem habuerunt *Fati Substantiam & Efficaciam*. *Fatum* in *Substantia* *Plutarchus* (30) & *Chalcidius* (31), totam *Mundi Animam* vocarunt, & quidem tripliciter divisam, in partem sc. *inerrantem*, sc. *spheram*, *erraticam*, & *subcælestem*, quæ circum terram est, & *Chalcidio* *sublunaris* dicitur. *Fati* verò *Efficacia* *Platoni* *Lex* fuit, quam de *Universi naturâ* *Deus* dixit animis immortalibus. Comprehendit autem hæc significatione *fatum* omnia illa, quæ in universo sive fiunt sive accidunt, præter quod nullum prorsus reliqui *Philosophi* angoverunt. Hinc distinctione hæc neglectâ *Stoicorum errorem*, *Fati* tantum *Efficacia* omnia tribuentem, neque ipsum *Deum* (juxta alios *fati substantiam* dictum) eximentem, provenisse credibile est, *Platonicos* contra eadem adhibita, à *Fati* dominio non *Deum* tantum, verum & ea quæ in *nostra potestate* sunt, liberasse. Hæc sunt *errabunde Rationis* de altioribus judicia, quæ si revelati *Luminis splendori* opponantur, *Igniculorum erraticorum* instar lucem penitus amittunt, sectatoresque suos plusquam *Cimmeriis tenebris* circumdatos, in *abyssu* relinquunt. Vera autem atque *Christiana εἰσαρμενολογία* cum ex altiori, & quidem revelato principio petenda sit, *cathedræ Theologicæ* utique committenda est.

(28 *Chalcid.* in *Tim.* *Plat.* (29 *Plutarch.* *L. de Fat.* (30 *Plutarch.* *ibid.* (31 *Chalcid.* *l. d.*

ADDITAMENTUM.

DUO nova *Prædicamenta* hoc anno à *Casp. Manzio*, *J. C. to Ingolst.* producta, è vitiosissimis promanant hypothesebus. Et primum quidem (juxta illum undecimum *Artificum* sc. & *Artefactorum*,) ex absurdâ & voluntaria *Substantiæ in Naturalem* (quasi non omnis substantia talis sit,) & *artificialem* distinctione, *Tract. sui Cap. XII. num. 7. p. 184.* traditâ, cui posteriori tamen, tanquam speciei *Substantiæ*, locum inter accidentia assignat. Cumque prædicationes omnes, (nec privativis, nec metaphoricis, nec identicis, nec aggregativis exceptis) certo cuidam prædicamento subjiciendas esse sibi persuasisset, c. I. n. 2. p. 1. *Alterum*, seu *Classem Extravagantium* constituit. In quâ longâ serie prædicationes illas recenset, quarum prædicatum nullum è prædicamenti sub se contineat, C. XIII. n. 5. p. 199. Non dico jam quam ineptè è duodenario *Apostolorum numero*, eundem prædicamentorum, C. XII. n. 5. probaverit, eque doctrina prædicamentali *Usus* formaverit *Spirituales*, more sc. *Papicolarum omnium*, qui è quavis palude potius, quàm purissimo *S. Scr. fonte*, sitim plebis levare student.

Lit. A. fac. I. l. 19. leg. Præmii, fac. II. lin. penult. l. Stuckium, item Ruinarum, fac. III. lin. 8. Oormasden. Lit. B. fac. 6. lin. 7. l. Tyrius, lin. 26. ΠΥΘΑΓΟΡΑΣ, fac. 5. lin. 5. Aphrodisiensi. Lit. C. fac. II. lin. 5. ipsorum.

Coll. diss. A. 222, misc. 49